

14. Regalia juxta naturam feudorum primitus tantum complectebatur feudalia; hodie vero etiam decimas & reliquos proventus Episcopatum.
15. Collatio Præbendarum feudis annexa etiam ad Regem Sede vacante reversa.
16. Primitus sola collatio feudis inhaerens ad Regem spectasse videtur.
17. Hinc verisimiliter factum, ut quaedam Ecclesie fuerint subjectæ Regalia quoad temporalia, & non quoad collationes Præbendarum.
18. Quo titulo extensa ad omnes collationes Præbendarum?
19. Feuda reguntur jure consuetudinario; neque ubiq; subjacent juri telivii.
20. Ex hac diversitate contigit Ecclesias alias subjectas esse juri Regalia, alias exemptas.
21. Non omnes Ecclesias in Regno Gallie subjacere juri Regalia agnovit Concilium Lugdunense.
22. Concilium loqui de hodierno jure Regalia probatur.
23. Canon Concilii editus ad postulationem Prælatorum Gallie & Anglie.
24. Concilium Regalia extendi vetat.
25. Regalia consuetudine indictam sustinet; desiderat tamen moderatum juris usum.
26. Jam pridem agnoverunt Pragmatici Galli; & ipsa Regia Parlamenta, quasdam Ecclesias ab hoc jure esse exemptas.
27. Quidam præterito seculo, prætulerunt esse jus Corona ad omnes Ecclesias extensibile, sed eorum opinio rejecta.
28. Quo tandem colore anno 1608, tentata Regalia extensio ad omnes Ecclesias.
29. Nova Regia declaratio, jus Regalia esse jus Corona, & omnes Regni Ecclesias ei esse subjectas.
30. Contentiones & motus in Regno Gallie occasione hujus declarationis excitati.
31. Ad eos compensandos convocatus Clerus Gallicanus.
32. Quid nomine Cleri Regi expositum?
33. Ad hanc Cleri Supplicam sequuta Regis declaratio quoad usum Regalia.
34. Clerus qua ratione mediante hac declaratione extensione Regalia consenserit?
35. Clerus Gallicanus resolvit litteras dandas ad Innocentium XI. Papam.
36. Exponunt quod ob mala aliis Regno & Ecclesiis imminente debuerint Regi cedere.
37. Ostendunt Regalia usum esse dumtaxat disciplina.
38. Dicunt Regalia esse ex iis, qua pro temporum & locorum conditione mutantur.
39. Totum statum causa exponunt, & rationes qua ad condescendum moverunt.
40. Quomodo in hac materia nonnumquam ipsi Romani Pontifices condescenderint.
41. His litteris respondit Innocentius XI. ostendit que sibi non satisfactum.
42. Scribit sibi sat constare in eo Conventu omnia metu acta fuisse.
43. Arguit eorum timiditatem & ignaviam in monendo Regem.
44. Dicit ipsos jura Ecclesiarum non potuisse alienare.
45. Rescindit & cassat eam extensionem & cessionem.
46. Non obstante Pontificia cassatione usus Regalia de facto in omnibus Ecclesiis obtinet.
47. Prima circa usum Regalia Regia modificatio circa Beneficia litigiosa; & qua hujus modificationis occasio.
48. Beneficia litigiosa sex mensibus ante obitum Episcopi Regalia subjecta; & quod hujus juris fundamentum?
49. Beneficia de jure vel de facto tantum vacantia subjacent Regalia.

50. Quando de facto vacare censeantur ad hunc effectum.
51. Vacant de facto si possessio accepta sit per procuratorem.
52. Secunda Regis modificatio circa quadam Beneficia quibus cura animarum, aut jurisdictio vel functio aliqua Ecclesiastica specialiter est annexa.
53. Quare hac modificatio fuerit necessaria?
54. Tertia limitatio usus Regalia circa Beneficia spectantia conjunctim ad Capitulum & Episcopum.
55. Ratio hujus limitationis.
56. Consentit Rex in hac modificatione salvo jure Regalia quoad ceteras prerogativas.
57. Juxta Pragmaticos Gallos in Regalia omnia sunt extraordinaria.
58. Ex sententia Pragmaticorum Rex jure Regalia succedit in primitivum jus Episcoporum, & confert pleno jure Beneficia Patronatus Ecclesiastici.
59. Papa nullas partes habet circa Beneficia vacantia in Regalia; & quare?
60. Non potest a Papa proveniri: neque tempore Canonibus definitum arctatur.
61. Semper Beneficium revertitur ad Regem quamdiu collatio Regis non habuit plenum & integrum effectum.
62. Rex in Regalia non ligatur Regulis Cancellaria.
63. Admittit etiam permutationes & resignationes in favorem.
64. Obscura ratio & origo privilegiorum Regalia.
65. Plura intercurrunt qua sunt mera disciplina.
66. Quid hic Ministris Regis incumbat.

Vox Regalia sumpta in plurali, frequenter sumitur pro juribus Fiscalibus, seu supremis juribus regis; interdum autem pro feudis immediatè à Rege relevantibus, de quibus aliisque nomenclaturis latè agit Du Cange in Glossario, verbo, *Regalia*. At hodie vulgatissima est vocis hujus acceptio in singulari pro jure regio fruendi omnibus proventus Episcopatum vacantium, & conferendi pleno jure omnia Beneficia non curata, quousque novus Episcopus præstiterit juramentum fidelitatis, acceperit possessionem, aliisque absolverit, quæ ad clausuram regaliæ requiruntur, de quibus supra parte 1. tit. 14. cap. 5.

II. Regaliæ ita sumptæ, & de qua hic unicè agitur, originem admodum obscuram esse fatentur passim Pragmatici; ipsèque Pasquierius antiquitatum Gallicanarum diligentissimus famosusque scrutator fatetur, se neminem hæcenus reperisse, qui originem indicaverit: *Si quid enim* (inquit) *in historia obscurum est, id imprimis de hac materia prædicandum. Lib. 3. Disquisit. cap. 15.*

Et Doctissimus Choppinus l. 1. De S. Pol. tit. 7. c. 9. asserere non veretur, nihil certi de origine regaliæ ex antiquioribus monumentis erui posse; sed ex regis tabulis dumtaxat patrisque Senatus consultis petita esse, quæ de hoc argumento scripsere primi Juris consulti: *Sicut Regaliarum cognitio vix pariteris* (ait) *antiquarum dumtaxat rerum studiosis.*

III. Si his itaque aliisque Gallicanis Scriptoribus fides sit, hæc materia non ex antiquis legibus, Canonibus, aut monumentis, sed ex consuetudine seu praxi, patris Senatusconsultis inducta & firmata examinanda venit: quod & verissimum est, si consideretur cum omnibus iis solemnitatibus, effectibus & accessionibus, quibus successu temporis tandem adornata & aucta fuit. At si attendatur prout in sua prima origine fuit, non adeò obscura apparebunt ejus exordia; neque accessio-num epochæ.

IV. Imprimis ex descriptione Regaliæ patet, Regalia

liam duo complecti: nimirum jus percipiendi proventus temporales; & jus conferendi pleno jure Beneficia non curata: iedoque Egidius Magister vulgò *Le Maître* in suo Tractatu De Regalia c. 1. distinguit duplicem Regalia; aliam temporalem, quæ complectitur proventus temporales; & aliam spirituales complectentem collationem beneficiorum.

V. Regalia quantum ad primam suam partem, si jus percipiendi proventus temporales Episcopatum vacantium, ex feudis originem suam habuisse rectè advertit Petrus de Marca; qui ubi ostendit, antiquitus constitutos fuisse œconomos, qui Sede vacante proventus Episcopales reciperent, & administrarent, eosque futuro Episcopo servarent; dein seculis labentibus usum fructum ad Reges Sede vacante esse devolutum, ait: "Si quis verò inquirat in causas tam magnæ immutationis, is reperiet eam esse profectam ex immutatione, ne quæ facta est in conditione & qualitate bonorum, ab Ecclesia possessorum. Quemadmodum enim in Republica quoddam bonorum genus extat quod vulgò *feudum* vocant, incognitum Romano Juri, ideoque novis constitutionibus & antiquarum legum dispositioni contrariis inductum, sic cum Ecclesiæ Regum beneficio donatæ fuissent bonis hujuscemodi, necessarium prorsus fuit ut illæ possiderent feuda iis conditionibus quas in prima feudorum origine invenit publica utilitas.

Eandem regaliæ originem agnoscit Zypæus in Jure novo tit. De Elect. num. 3.

VI. Porro ea fuit primitus feudorum conditio ut non nisi ad vitam, & jure usufructuario à Domino utenda concederentur; mortuo autem vasallo rursus ad dominum directum pleno jure redirent. At sensim tacito usu introductum & receptum fuit, ut illa ad hæredes transiret, domino directo ita consentiente & caducum feudum in eos transferente; idque soluto certo pretio, quo mediante hæredes feudum à domino relevabant; quodque propterea *relivium* dicebatur; de quo, & variis ejus speciebus latè agit Du Cange in Glossario, verbo, *relivium*.

Quamdiu autem feudum à novo hærede non erat relevatum, manebat apud dominum directum, qui & interim fructus feudi vacantis percipiebat.

VII. An feuda primitus eâ conditione ad Ecclesias transferint, non constat; virisimiliusque apparet, eam fuisse Regum & Principum mentem, ut sine hac restrictione in perpetuum transiret; præsertim cum ea non personis singularibus, quarum morte fieri possent caduca, sed Ecclesiis, quæ non moriuntur, darentur: magisque id liberalitati Regum & Principum conforme apparebat.

VIII. Quidquid sit, illud admodum verisimile est, quod seculo XII. ceperint Reges Gallie feudorum ad Ecclesias ex liberalitate Majorum suorum devolutorum usum fructum Sede vacante ad se recipere, donec novus Episcopus eorumdem investituram à Rege accepisset, juramentumque fidelitatis præstisset: quasi Episcopo moriente ipse feudi vasallus moreretur; atque ita ipsum feudum caducum fieret; & consequenter juxta leges feudorum ad Dominum directum donec à novo vasallo, id est, novo Episcopo relevaretur, redire deberet.

IX. Ita ferè Petrus De Marca l. 8. c. 22. n. 5. qui in ea est sententia, ut existimet, usum fructum reddituum Ecclesiasticorum introductum esse post constitutionem Callisti Papæ II. editam anno 1122. quæ Regibus tribuit potestatem exigendi à Prælatibus universa officia & obsequia, quæ ratione Feudorum exhibere tenentur. *Quæ ex Regalibus debet, faciat*, ait constitutio.

X. Hæc constitutio extat in Chronico Abbatis Urspergenis ad an. 1122. missa ad Henricum V. Imperatorem in *Van Espen Jur. Eccl. P. II.*

ratorem, pro sopiendis controversiis super investituris quæ Imperium cum Sede Apostolica multo tempore commiserant: arbitratq; De Marca loco citato n. 6. "Reges resarciendis damnis suis intentos, quæ toleraverant dimittendo jura investiendi Episcopos ante consecrationem, dum Pontificibus Romanis obtemperant ita cupientibus, jure suo usos esse quoad feuda, ut Papa Callistus approbaverat.

XI. Legitur apud Rigordum de Gestis Philippi Augusti ad an. 1209. quod recusantibus pertinaciter Episcopis Aurelianensi & Antiffiodorensi, ire vel mittere in exercitum, nisi quando Rex *personaliter* proficiscitur, "Rex eorum Regalia confiscaverit, scilicet ea tantum temporalia, quæ ab eo *feudaliter* tenebant: decimas, & alia spiritualia eis in pace dimittens. Ipse enim Rex Christianissimus semper timebat offendere Ecclesiam Dei & ejus Ministros." Hæc ille.

Hinc non obscure elicitur, regalia suâ origine fuisse jus merè feudale, quo Reges æquè circa Prælatos Ecclesiæ, quam Laicos utebantur: idque non tantum mortuis Prælatibus, sed & viventibus, in casum confiscationis, juxta conditionem feudorum.

XII. Evidentius adhuc hanc regaliæ primigeniam naturam evincit instructio à Philippo Pulchro data Archiepiscopo Senonensi & Episcopo Antiffiodorensi ad componendam coram Pontifice controversiam extortam in Ecclesia Carnotensi, representando Pontifici quæ hinc essent jura Regni: "Sicut *feudum* vasallo vacans, interim cum suis redditibus à Domino licitè occupatur, & propter defectum hominis, ut vulgari patriæ nostræ verbo utamur, de jure & generali consuetudine regni nostri per Dominum, quousque superveniat persona quæ illi serviat, licitè detinetur: sic nos & nostri Antecessores, vacante Ecclesia Carnotensi, & temporalem Jurisdictionem & bona temporalia accipimus, & nostros facimus omnes fructus qui proveniunt ex eisdem.

XIII. Si his addamus solemnitates, quæ etiam hodie requiruntur & observantur in clausura regaliæ, dubitari non posse videtur, regalia esse origine suâ jus feudale; atque juxta leges feudorum fuisse inductam.

XIV. Ex citatis verbis Rigordi constat insuper, regalia primitus comprehendisse sola feudalia; decimas autem aliisque Ecclesiasticos proventus ab ea fuisse exemptos, quod & De Marca l. 8. c. 22. n. 7. observavit; ibique ostendit, quomodo sensim ad decimas omnemque proventus extensum fuerit; quod & latius ostendit Auctor Tractatus Gallici an. 1681. occasione controversiæ super extensione juris regaliæ editi parte 1. c. 9. ibidem ostendens, prætextu juris custodiæ & juris spoliū hanc extensionem contigisse.

XV. Cum verò ipsis feudis frequenter jus præsentationis sive collationis sit annexum, uti supra c. 2. ostendimus, consequens visum fuit, ut revertente feudo ad Dominum directum, etiam jus præsentationis vel collationis ei annexum debere ad dominum directum reverti: atque hæc ratione collationem Præbendarum ad Regem jure regaliæ primitus pervenisse admodum verisimile est.

XVI. Porro sicuti sola feudalia primùm juri regaliæ, juxta naturam feudorum, subjecta fuere; ita & sola collatio Præbendarum feudis illis annexa ad Regem pertinuisse videtur; admodumque verisimile, Regem nihil sibi attribuisse, nisi feuda cum omnibus quæ iis videbantur annexa.

XVII. Et quidni hinc contigisse dicamus, quod in quibusdam Ecclesiis regalia obtineret quoad temporalia, non autem quoad spiritualia; quemadmodum jam pridem obtinuisse in nonnullis, tamquam indubitatum & notorium tradit Le Maître in Tractatu De Regalia

lib. c. 4. Et variis Parliamentorum Arreſtis confirmatum teſtatur De Marca l. 8. De Concordia Sacerdotii & Imp. cap. 24. num. 2.

XVIII. Poſtquam autem regalia extenſa fuit ad omnes fructus Eccleſiæ vacantis, atque unâ Canonis præeunte Gloſographo, dictum & receptum fuit, collationem Beneficiorum eſſe in fructu, fructibusque annumerari, ſenſim quoque inductum eſt, ut ubi Rex jure regaliæ reciperet in diſtincte omnes fructus Episcopatus vacantis, etiam ipſam Præbendarum collationem, tamquam partem fructuum, haberet. Hoc & Petrus De Marca notavit l. 8. De Concordia Sacerdotii & Imperii c. 22. n. 7. "Quoniam collatio Beneficiorum cenſetur pertinere ad fructus, ſecundum quod in libris Decretalium continetur, eo jure proſus opportunè uſi ſunt Reges, ut uſum inveherent conferendi Præbendas, quarum proviſio ad Episcopum pertinebat.

XIX. Notandum inſuper, Jura feudorum non ex jure ſcripto, ſed potiùs conſuetudinatio conſtare; id eoque non eaſdem fuiſſe in omnibus Provinciis feudorum conditiones & jura, uti rectè obſervat Du Cange in Gloſario verbo *Relivium* & verbo *Feudum*; atque inter cæteras conſuetudinum diſſonantias, hæc erat; quod in aliquibus Provinciis Domino directo competere mortuo Vaſallo jus *relivii*; ipſi; cederent fructus, quoad uſque novus Vaſallus jus hoc *relivii* ſolvit, & inveſtituram à Domino directo accepiſſet: in aliis verò Provinciis feuda *liberè* abſque onere *relivii* ad hæredes vaſalli tranſiunt: neque Domino directo uſus fructus acquireretur.

XX. Ex qua conſuetudinum varietate facile intelligi poteſt, cur non in omnibus Eccleſiis eodem tempore recepta fuerit Regalia; etiam quoad uſum fructuum feudorum ad Eccleſiam ſpectantium.

Cum enim nec laicalia feuda illi juri eſſent in iis Provinciis ſubjecta; rationi diſſonum viſum fuiſſet, feuda Eccleſiaſtica illi oneri ſubjicere.

Unde Petrus De Marca lib. 8. De Concordia Sacerdotii & Imp. cap. 22. num. 5. rectè obſervavit, Jus Regaliæ imprimis introductum fuiſſe in Provincias in quibus mutatio Domini neceſſitatem imponit ſolvendi *relivii*: "Cum e contra in illis, quæ huic juri *relivii* obnoxia non ſunt, nihil à Regibus tentatum fuerit, quoad uſum fructuum Regaliæ.

XXI. Ipſum quoque Concilium Lugdunenſe II. ſub Gregorio X. hanc Eccleſiarum varietatem circa uſum Regaliæ ſat aperte agnovit in Cap. 13. De Eleſt. in 6. ipſa Regalia reſtringens ad eas Eccleſias in quibus ab ipſa fundatione, vel ex antiqua fundatione invaluerunt. Verba Canonis ſunt: "Qui autem ab ipſarum Eccleſiarum cæterorumque locorum fundatione, vel ex antiqua conſuetudine jura ſibi hujusmodi vindicant ab illorum uſu ſic prudenter abſtineant, & ſuos Miniſtros, in eis ſolicite faciunt abſtinere, quod ea, quæ non pertinent ad fructus ſive redditus provenientes vacationis tempore non uſurpent: nec bona cætera, quorum ſe aſſerunt habere cuſtodiam, dilabi permittant, ſed in bono ſtatu conſervent.

XXII. Hunc Canonem de hoc jure regaliæ, de quo egimus, loqui, teſtis eſt Durandus Episcopus Mimatensis vulgò dictus *Speculator*, qui ipſi Concilio interfuit. Verba ejus ſunt: "Regalia hic vocantur jura Regi in quibusdam Eccleſiis & Monasteriis competentia: quia videlicet illis vacantibus Rex ſub prætextu cuſtodix facit fructus ſuos, & etiam in quibusdam Præbendas confert, ſicut patet in quibusdam Eccleſiis Franciæ.

XXIII. Teſtatur inſuper Durandus ad clamorem Prelatorum Franciæ & Angliæ hunc Canonem editum eſſe. "Præſens conſtitutio fuit (inquit) ad clamorem

rem Prelatorum Franciæ & Angliæ promulgata.

XXIV. Non tantum evincit hic Canonem, eo tempore Jus regaliæ in quibusdam dumtaxat Eccleſiis receptum; ſed inſuper, "qui regalia de novo uſurpare conantes, bona Eccleſiarum, Moſtaſteriorum aut locorum ipſorum vacantium occupare præſumunt, quantumque dignitatis honore præfulgeant; Clericos etiam Eccleſiarum, Monachos Monasteriorum, & perſonas certas locorum eorundem, qui hæc fieri procurant, eo ipſo excommunicationis ſententiæ ſubjecte decernit.

XXV. Regaliæ autem uſum in Eccleſiis, in quibus vel ex fundatione, vel ex antiqua conſuetudine erat receptus, tolerare Concilium, modò tamen eo moderatè utantur, allegata Canonis verba ſat evincunt.

Ad hunc Canonem reſexiſſe Ludovicum XII. Regem Galliarum an. 1499. verſimile eſt. "Prohibet enim univerſis Officiariis ſuis, ne in Archiepiscopatus, Abbatias, & alia Beneficia Regni noſtri, in quibus Jus Regaliæ aut Cuſtodix non habemus, ſe intromittant; alioquin ut ſacrilegi plectantur." Apud Magiſtrum vulgò Le Maître in Tractatu De regalia c. 4.

XXVI. Itaque Canone Concilii Lugdunenſis, confirmatum eſt (ait De Marca Cap. 24. n. 4.) Jus recipiendi regalia in Eccleſiis ubi recepta erat illa conſuetudo: cujus introductio vetita eſt quoad Eccleſias, quæ ei non erant obnoxia.

Et n. 2. dixerat, "in quamplurimis veteribus arreſtis Parliamenti Pariſienſis edicti, probandam eſſe poſſeſſionem Regis in Eccleſiis, juxta quam deinde Curia decernebat de jure regaliæ.

Post hæc relatæ nonnullis Regum ordinationibus, nec non quodam veteri regeſto in quo enumerantur Eccleſiæ Juri regaliæ non ſubjectæ tandem n. 9. ſubjungit: "qui materiam hanc cum aliqua cura tractarunt, veluti Ruzæus & Probus, ex his conſtitutionibus conſequenti ajunt Jus Regaliæ non eſſe ubique ſimile, nec in univerſo Regno vigere, Regem verò eo uti non poſſe niſi in Eccleſiis ubi poſſeſſionem habet omni memoriam antiquiorem.

XXVII. "Attamen diſſimulandum non eſt tentaffe jamdiu quodam perſuaſum omnibus facere Jus Regaliæ eſſe jus merè Regium & ad Coronam pertinere ut ipſi loquuntur, atque adeò ad univerſas Regni Eccleſias porrigendum eſſe abſque diſcrimine. Ita enim ante hos trecentos ferme annos ſenſit Joannes Butillierius in ſua Summa Rurali. At Paſquierius, tamen ſi Regius in Camera Computorum Advocatus eſſet, opinionem illam erroneam eſſe contendit & dignam potiùs adulate aulæ, quam Jurisconſulto Gallo. Addit verò Guidonem Fabrum Pibracum generalis Regis in Parlamento Pariſienſi Advocatum, qui jus Regaliæ generale ubique eſſe urgebat edicto ſtatui, id obtinere non potuiſſe, ac de ſententiâ fuiſſe deſectum.

XXVIII. "Nihilominus hinc factum eſt ut vetus loquendi modus in antiquis Regum conſtitutionibus uſurpatus, mutatus deſi fuerit. Edictum quippe anni milleſimi ſexcentiſimi ſexti verbis ambiguis & oblique inflexis conceptum eſt, quæ duplici interpretationi obnoxia ſunt, cum in eo contineatur Regem nolle uti jure Regaliæ in detrimentum Eccleſiarum exemptarum. Verba enim hæc occaſionem ſubmiſtrarunt inveſtigandi an exemptio illa intelligenda eſſet de exemptione juris & de præſcriptione, aut de exemptione à Principe conceſſa, ſive titulo onerofa. Viam autem controverſia hæc aperuit arreſto Parliamenti Pariſienſis lato anno MDCVIII. quo edictum ne Advocati in dubium revocent an Rex jure regaliæ uti poſſit in univerſis Regni Eccleſiis; quod jam

jam præjudicatum fuiſſet edictum eſſe intelligendum de exemptione conceſſa ob utulum onerofum. Quæ ſententia adverſus hoc arreſtum movit clerus Gallicanus apud Regiam Maſteſtatem.

XXIX. Hæc Ceri interceſſione obtentum fuit, ut hoc Arreſtum Parliamenti Pariſienſis ſine executione ſuſpenſum remaneret uſque ad ann. 1673. quo Rex publico Edicto declaravit jus regaliæ ſibi competere in omnibus Eccleſiis ſui Regni, exceptis iis, quæ titulo ſunt exemptæ. Quæ declaratio edita 10. Februarii, fuit probata & regiſtrata in Parlamento Pariſienſi 18. Aprilis ejuſdem anni. Reſertur integra à Claudio Blondeau in ſua Bibliotheca Canonica verbo *Regale*: cui ſubjicitur aliud Edictum Regium de 2. Aprilis an. 1675. prioris edicti declaratorium.

XXX. Quotus motus hæc declaratio extenſiva regaliæ in Regno Galliarum excitaverit notum eſt; ſcitumque nonnullos Prelatos ſummo vigore & zelo ſe huic extenſioni tamquam Eccleſiarum ſuarum libertatem in ſervitutem redigenti, & Canonis Concilii Lugdunenſis aperte contrarianti oppoſuiſſe; hiſque faviſſe ſummum Pontificem Innocentium XI. pluribus emiſſis Brevibus, quibus declarabat, quantopere ſibi hæc extenſio diſpliceret.

Contentiones quæ hæc occaſione inter Miniſtros Regios extenſioni faventes, & Prelatos Eccleſiæ eidem repugnantes, eamque improbantem, & ſubjicere recuſantes facile dignoſci poſſunt ex lucubrationibus quæ utrimque divulgatæ fuerunt.

XXXI. Occaſione horum motuum & ſciſſuræ inter Miniſtros Regios, & Prelatos Eccleſiæ, an. 1681. Juſſu Regis celebratus fuit in Urbe Pariſienſi generalis Cleri Gallicani conventus, in quo hæc regaliæ extenſio, ſeu regia declaratio propoſita fuit.

XXXII. Poſt habitam deliberationem, expoſitum fuit Regi ex parte hujus conventus, imprimis quod auctoritas Episcopalis quoad prædicationem verbi Dei, reconciliationem poenitentium, & exercitium Jurisdictionis ſpiritualis non parum læderetur per uſum Regaliæ. Secundo quod ipſe uſus Regaliæ per nupera Parliamenti Pariſienſis arreſta eſſet non parum extenſus; quapropter ſupplicavit, ut Rex integram vellet conſervare Jurisdictionem Episcopalem, nec non declarare, quomodo hoc jure Regaliæ uti poſthac intenderet.

XXXIII. Ad hanc Cleri expoſitionem & poſtulationem ſequuta eſt declaratio regia in Januario an. 1682. quæ quidem prior declaratio ann. 1673. confirmatur quoad extenſionem regaliæ ad omnes Eccleſias, ſed uſus regaliæ circa duo præcipue puncta mitigatur, quam mitigationem infra referemus.

XXXIV. Hæc declaratione Conventui Cleri Gallicani propoſita, & auditâ relatione Commiſſariorum ſuorum, ut pacem Regno & Eccleſiis conciliaret, perveniretque incommoda, quæ diſſidio Sacerdotii & Imperii ſecum trahere ſolet, nec non attentâ mitigatione ſuper uſu regaliæ per Regem factâ, reſolvit de unanimi judicio omnium Provincialium, jus Regaliæ univerſale indubitatum & extra conſtationem; eum in ſinem conſentientis, in quantum opus eſſet, ut idem jus regaliæ, quo Rex ſuebatur in majori Eccleſiarum ſui Regni ante Arreſtum Parliamenti de 24. Aprilis 1608. maneat extenſum ad omnes Eccleſias Regni juxta terminos declarationis regaliæ de 10. Februarii 1673. Habeatur hæc Cleri declaratio, uti & præcedens regia, apud Claudium Blondeau loco citato.

XXXV. Cum verò non ſine fundamento veteretur clerus Gallicanus, ne hæc declaratione & conſenſu in extenſionem regaliæ exacerbaretur & offenderetur ipſe Pontifex Innocentius XI. reſolvit, ſcriptis ad eum litteris rationem ſui facti exponere, eumque hæc ratione placare.

Van Espen Jur. Eccl. P. II.

XXXVI. Litteræ hæc miſſæ fuere 3. Februarii ejuſdem anni. In his imprimis exponunt, Regni & Sacerdotii tuâ piæque concordia res humanas niti, "dum unum ab altero impugnatur, periclitari utrumque, eâ occaſione & de regno tolli juſtitiam & de Eccleſiâ pacem, ſciſmata & ſcandala ſuſcitari & fieri animarum perditionem ſimul & corporum; ſine horum concordia res humanas nec incolumes eſſe poſſe, nec tutas; uti jam pridem dixerunt Goſfridus Vindocinenſis & Ivo Carnotenſis.

XXXVII. Dein oſtendunt, regaliæ uſum non eſſe ex iis, quæ ad fidem ſpectant, vel quæ æternâ lege ſancita, inconcuſſa & invariata manere debent; ſed ex iis quæ Eccleſiaſtica prohibitione conſtant, in quibus ipſi Eccleſiarum Principes multa pro tenore Canonum judicaverunt, multa pro temporum neceſſitate tolerarunt, & quædam temperarunt, non cæcâ tamen & indiſcretâ relatione diſciplinæ, ſed ſi neceſſitas adſit, ex qua leges quoque mutari continget.

Eam verò neceſſitatem tunc ſubeſſe, ſi graves diſſenſiones, ſi turbulenti motus, tumulûsque immminerent, quam populorum ſtragem, ſancti Patres vocant; tunc enim charitatem, quæ ſumma Eccleſiæ lex ſit, alias emolliere ac temperare leges, ac detrahendum aliquid Canonum ſeveritati, ut majoribus moribus ſanandis charitas ſincera ſubveniat; uti loquitur S. Auguſt. Episc. 50.

XXXVIII. Poſt hæc non obſcurè concedunt, Concilium Lugdunenſe vetuiſſe jus regaliæ extendi ad eas Eccleſias, quæ primavâ & immutâ libertate gauderent: At inquirunt, "id ſane liquendò conſtat, nullum eſſe periculum, ut extenſum Fidei, moribusque noceat, quod illæ ſâ fide, ſalvæque morum regulâ, longè latè, que propagatum, plurimas jam Regni Eccleſias occupavit, ex quo illud efficitur, regaliæ cauſam; non ad Fidei, morumque regulam, quæ immobilis & irreformabilis ſit, ſed ad diſciplinam, quæ pro locis ac temporibus ſubinde mutetur, quæque temperamentâ ac ſalubrem illam moderationem admittat, omnino pertinere.

XXXIX. Tum totum cauſæ ſtatum, nec non rationes ac neceſſitates expliant, quæ ipſos ad condeſcendum huic extenſioni, & nonnihil à Canonum tenore deſectendum moverunt quòdque "poſt Eccleſiarum quarumdam libertatem totis ſexaginta annis hærentè propugnatam victi in eo Tribunali, quod ipſi ante quo more Regni appellavimus (inquirunt ac juſte ceſſante potiùs, quam omnia movere, regiam potèſtatem, cum Pontificali committere, nova deinceps bella ceterè vellemus. Nos pacem antepoſimus, nec in ſimili cauſa piget imitari Vindocinenſem Abbatem, non mitius fortitudine, quam prudentiâ clarum, cujus verbis dicimus; *Habeat Eccleſia ſuam libertatem; ſed ſummopere caveat, ne dum nimis emunxerit, elioat ſanguinem. & dum rubiginem de vaſe conatur eradere, vas ipſum frangatur.*

XL. Exponunt, qualiter & ipſi Pontifices in hac ipſa materia aliquando reſcripſerint; cum rege moderatè agendum; ac notanter Innocentius III. ad Galliarum Episcopos ſcribat lib. 3. Episc. 107. "Fraternitati veſtræ conſulimus bonâ fide, quatenus cum chariſſimo Filio noſtro Rege, quanto melius poteritis, componere ſtudeatis; quoniam arcus qui ſemper eſt tenſus, vires amittit, & nonnumquam Reges vincuntur manſuetudine magis, quam rigore.

XLI. Hiſce litteris quam parum pacatus fuerit Pontifex, pateſcit ex litteris in forma Brevis reſponſoriis, datis 11. Aprilis ejuſdem anni 1682. in quibus ſtatim in exordio ſcribit, ſibi permoleſtum accidiſſe, ac planè acerbam, cognoscere ex litteris ipſorum, Episcopos Clerumque Gallicanum, qui corona olim & gaudio merat Apoſtolice Sedis, ita ſe erga illam in præſens